...mus

...mus.

Wresnani Bartholi: In natalem diem Ioannis Comitis a Tarnow belluli infantis felicibus auspiciis nati Carmen Patri eiusdem Ioan. Tarn. dicatum.

In Natalem diem

IOANNIS COMITIS à TARNOW belluli infantis felicibus auspicijs nati,

CARMEN

Illustri ac Magnifico Dño:

D. IOACHIMO COMITI à TARNOW Vendensi &c. Capitaneo &c. Patri eiusdem.

ET

Illustri ac Magnifico Dño,

D. STANISLAO COMITI à TARNOW Castellano Sandomirieñ: Busceñ: Stobniceñ: &c. &c. Capitaneo &c. Senatori amplissimo, infantis Auo.

Cæterisq; Hospitibus gratissimis & clarissimis.

DICATVM

à M. BARTHOLOMÆO WRESNANO Collega Minore.

CRACOVIAE

Apud hæredes Iacobi Sibeneycheri VI. *Kalen. Sextil.*

Anno Domini M. DC. XIV.

IN ARMA
COMITVM à TARNOW.



Quod stellæ cœlo, quod picto cauda refulgens
Est pauo, et capiti pulchra corona suo.
Hoc quoq; Sauromatis claris Tarnouia proles
Factis, consiliis, ingeniisq; bonis.
Splendor ibi nitidus, virtus hîc aurea splendet.
Confer vtrumq; decus; hæc viget, ille cadit.

IN AR-

IN ARMA

Illuſtris ANNÆ è Dąbrowica.



Eſt ardens irâ Leopardus, tergore vaſto
Multicolor, capitis clarus honore ſui.
Ira iuuat mentem, ſtimulis dum ſegnia corda
Excitat: at virtus pura colore micat.
Fierleiæ gentis decus hoc eſt: illa paternas
Vſq; ciet vires, illa boniſq; nitet.

AD PATREM.

FIlli deliciæ patris nouellæ
Priſcæ gentis honos, amænitasque:
Quàm pulcher faciem, genas rubentes
Et nigros oculos, manus decoras!
Vt gemmæ iaciunt rubræ colores,
Vt flores niuei virente prato,
Vt Phœbus radios per ima terræ
Diffundens, homines benignus ore
Aſpectat, recreat, iuuatque læto:
Sic infans tener eſt patris voluptas
Ac ſtirpis veteris, nitor ſerenus.
Ergo quid genitor? Repelle curas,
Mærentes animos procul repelle.
Infans filius intrat orbis oras,
Promittitque tibi beatiora.
Naſcenti puero ferox Erynnis
Nil prorſus nocuit minace dextrâ.
Donauit ferus arma ſæua Mauors,
Infudit latices Minerua ſacros,
Appinxit Venus oris alma formam,
Sed Maiâ genitus dedit loquelam,
Facundi ſuperabit ora Tulli.
Quicquid Pierides habent canoræ
Quicquid Cynthius artium Magiſter,
Aut Pan-

Aut Pandora Dijs amata cunctis,
Totum ſuſcipit hic tenellus infans.
Hic eſt ille puer parente Magno
Qui factis patriæ decus Polonæ
Augebit, celerem poloque famam
Æquabit, meliore fultus æuo.
Felix ô genitor repelle curas.
Felix creſce puer Deo volente
Virtutum cupidus bonæque laudis.
Creſcant dona tuæ ſuperba mentis
Fili deliciæ patris nouellæ
Priſcæ gentis honos, amænitasque.

AD AVVM.

ALcides genitus fortia pectora
Monſtrauit, teneris cum digitis feros
Angues haud timidus preſſit, & expulit
Cunis molliculis victor ab hoſtibus.
Quis tantam puero crederet inſitam
Vim, roburque, grauem quod deceat virum?
Pellæi pueri mens ſatis inclyta
(Ortus cùm fuerat) luxit in ardua.
Heroës valido pectore filios

 Inui-

Inuictos generant; vt volucris Iouis
Pullos non timidos, aut Phrygius leo.
Gentis nunc etiam maxima gloria
Ortu Tarnouiam condecorat domum.
O infans atauis inclyte maximis
Quàm non inferior patribus es tuis!
En virtus oculis emicat igneis
Et vultu, digitis, omnibus artubus.
Caſtellane potens hæc tua gaudia
Effæti ſenij, lætior aſpice
Gratis luminibus pignora filii,
Sic vitæ moueas tempora longiùs
Durat vita Patrum crede nepotibus,
Surgit laus etiam hinc viuida ſeculis.
O infans oculos blandule fulgidos,
Nunquid cernis aui lætitiam tui?
Quid rides hilaris? Symbola ſunt meæ
Mentis. Viue ſenex Maxime ſeculis
Multis, egregiis notus ad æthera
Factis. Deliciæ viuite blandulæ.
Reges Sarmatiæ te decus optimum
Viderunt, pia te patria militem
Duris pectoribus. Tela tulit fera
Hoſtis terribilis, dum tua dextera

Transfi-

Transfixit iaculo corpora perfida.
Immortalis eris Diue senex, tuas
Cantabunt operas carmine posteri.
Quicquid Musa tibi dat mea, Maxime
Heros, accipias pectore lætior.
Multis viue senex inclyte seculis,
Factis egregiis notus ad æthera.

Ad HOSPITES.

LÆta cohors veterem Craci peruenit ad vrbem
Infantis geniti visere tecta cupit.
Heroës, felix aduentus vester in aulam:
Id vobis infans optat ab ore tener.
Optat ab ore tener felicia tempora cunctis,
Continuò vtq; salus aurea cuiq; fluat.
Optat fortunam placido de corde fluentem.
Et quicquid felix, optat ab ore tener.
Magnis posthabitis rebus, quòd præpete cursu
Verteritis gressum, gratia vestra dedit.

Scilicet Heroum generosos inclyta natos
Perpetuò facies, oraq́, clara decent.
Infanti lumen portant Heroës amicum,
Infans Heroas condit et ore suo.
Unus ab alterius iusto dependet honore,
Mutuus est magni lumen honoris honor.
Parui sæpe solent in magnos crescere; Magni
Qui modò sunt, parui crede fuêre prius.
Uos igitur magnos modò paruus ab ore salutat.
Uiuite felices, atq; valete diu:
Mox Craci Musas celebris redamate vetustas,
Paruis et magnis gratia, Musa vetus.

EPOS

EPOS NATALITIVM.

O Formoſa dies, quouis memorabilis æuo
Quâ tener ex vtero generoſo naſcitur infans
Progeniem decorat claram, fortesque Polonos
Auget, non vlli cunctos ceſsurus in annos.
Quàm felix proles geminas coniunxit in vnum
Stirpes concordes animos & pectora firmans?
Sentiat has Nonas in corde Polonia mater,
Sentiat à Tarnow Comitum gens priſca virorum,
Sentiat hos iuxta Fierley domus inclyta factis,
Et quos ſancta iuuat virtus, patriæque decorum
Nomen ad externas quod pennis euolat oras:
Gaudia pertentent animos, & viſcera rumpant.
En tener ex vtero generoſo naſcitur infans.
Ergo viri, pueri, iuuenes, caſtæque puellæ,
Linguis dulciloquis, votisque fauete benignis,
Natalem infantis cultu celebrate frequentes,
Hinc abſit triſti longè diſcordia vultu
Succedat lætâ facie concordia tectis,
Diſcedat procul hinc ſcelerati criminis agmen
Virtus cum ſociis venerandis greſsibus adſit.
Omnia læta fluant, fugiant contraria prorſus.
Tali digna domus Tarnouia fronte, per omnes
Annos, apta nimis quam ſic fortuna ſecundet.

Sed quid parue puer riſuq́ue, oculiſq́ue ſerenas
Matrem, nec lacrymis vultum conſpergis amaris?
Hoc virtus puerilis habet, quæ conſcia vitæ
Innocuæ, luctum ſemper contemnit acerbum.
Præterea genius Maiorum pectora fortis
Extimulat, de corde iubet depellere curas.
Denique de cœlo, terras quæ miſsa per imas
Auxilia, infundunt teneræ ſolatia menti.
Iam lætare parens, gnati ſtimulata recentis
Lætitiâ, dulces riſus imitare tenelli,
Aſpice quàm lætis oculis, manibusque decoris
Quàm digitis niueis, labiis, & fronte venuſtâ!
Corpore quàm toto pulcher dulciſsimus infans!
Formoſi nati generantur ſtirpe parentum
Formoſâ, gratum virtus dat pulcra colorem.
Haud aliter pictæ dant pignora picta volucres.
Nec ſecus Eoæ gemmæ Regale metallum
Exornant radiis puris cum lumina iactant.
Quid pater? exulta, blandas pedibusque choreas
Plaude, ſalit natus patriæ virtutis imago.
Vita breuis, longam nati ſeriquе nepotes
Efficiunt, ſiquidem cedunt in tempora patrum:
Sic iam vita breuis, durat per Neſtoris æuum.
Herclè puer fatis magnus voluentibus annis
Hic erit, accipiet robuſtum patria quondam
Patronum, dulcemque vocabit nomine Patrem.
Fallor? an aſpectum decepit opinio fati?

En ve-

En veniunt Diuæ, infanti quæ munera portant,
Fatalisque modum vitæ, ac pia iussa tonantis.
Gestit mens nimium voces haurire sacratas.
Interea chorus insignis de sede beatâ
Cæli progreditur, micat aër, quisque stupescit
Fulgentes faciem, pectus, vestemque puellas,
Splendescunt oculos, crines, caput, ora rubescunt.
Ex his cana Fides roseo sic infit ab ore.
Ianua cælestis vocor, hoc circundata scuto,
Agmina diuinæ sterno contraria sedi,
Sub pedibusque premo falsissima dogmata nostris.
Huc pater omnipotens cælo me, vnaq; phalangem
Hanc misit mecum, generoso sanguine natum
Visere, diuinas pueroque immittere dotes.
Felix in terras patulas Tarnouia proles
Edita; namque Deus firmabit pectora sanctus
Ne possint vllis erroribus obuia labi.
Quin etiam duces ad ouilia prisca parentem,
Quam vagus error habet, gaudebit lumine veri.
Tu modo pone viam sceleris (quæ prima parentũ
Noxa fuit) nequam genii gressusque malignos.
Cede procul Dæmon, te nostra hęc arma repellunt,
Sparsa cruore Dei MARIA de virgine nati,
Indue loricam fidei, qua ex hoste triumpha.
Crede, Deum Patrem qui condidit omnia verbo
Eius progeniemque vnam, qui noster in omni
Est vita Dominus, conceptus pneumate sacro,

Postea sed genitus mundo de virgine purâ,
Præside Pilato passus, dein fixus in alta
Arbore, morte ferâ pressus, telluris apertæ
Infossus gremio; tandem Phlegetontis ad vndam
Descendit, ternâ sed luce à morte resurgit.
Ascendit cœlos, sedet ad dextramq; parentis
Omnia qui potis est: Iudex venturus in orbem
Inde simul viuos homines, ac morte sepultos
Iudicio premere, ac meritis dare prę mia cunctis.
Pneuma sacrum credas cætum populiq; fidelem
Toto diffusum mundo, tum vincula sancti
Cætus, peccati veniam, carnemq; caducam
Voce Dei surrecturam, vitamq; perennem.
Deniq; crede puer, quòd sancta Ecclesia mater
Vna iubet, veteres & quod tenuêre parentes.
In vita fugias noua dogmata: Dæmonis astus
Illa dedit vafri, patulum sparsitq; per orbem.
Hæc tua semper erunt, hęc arma capesse, cruentum
His vinces hostem, manibus post terga reuinctis.
Quid puer ergo taces? cur fundere verba recusas?
Annuit en oculis; quia lingua tenella ligata est,
Proq; infãte viri liquidè, omnia credo, loquuntur.
Ergo iam factus Christi de nomine seruus,
Viue diu felix, patriæq, tibiq; decorus,
Inprimisq; Deo, qui post pia fata receptum
Serò, te iusto cumulabit munere cœli.
Dum tua vita manet, gremio feret omnia tellus
Sponte

Sponte tibi, ſegetes flauas, vberq́; legumen,
Arboreos horti fœtus, vndæq́; liquentes,
Et virides ſyluæ, florentia prata; domusq́ue
Cuncta dabit, pleno fundet ſe copia cornu.
Non erit hîc ſerpens, non fallax herba veneni
Noxius haud vret calor, acria frigora parcent
Non imber validus, non ſæuo turbine ventus,
Non rapidi fluuij ſuccreſcens vnda nocebit
Aut comedet veniens herbas locuſta virentes,
Vicinus deerit malus, & ferus hoſtis ad agros
Non veniet pingues, bene quos tua cura fouebit.
Hanc manibus rubeam caſtis puer accipe palmam
Illa tibi fuerit comes, actus illa gubernet
Vſq́; tuos; noſtri ſit tantum pignus amoris.
Dixerat. Incipiens ita fatur caſta Virago
Labris, os ſuffuſa pudore, genaſq́; nitentes.
Caſte puer, terris ſate primum ſanguine claro,
Cui pater & genitrix magnâ de ſtirpe profecti
Principium vitæ dant; Huc me Rector Olympi
Miſit, vt infantem mandata capeſſere paruum
Edoceam ſacra: Diua Fides quæ credere debes
Inſtruxit: ſupereſt vt caſtam ducere vitam
Inſtituas, tali ſine, nemo placere tonanti
Atq́; tenere fidem poterit ſub pectore veram.
Me ſequere, ô fili, lumbos præcinge tenellos
Hac niueâ pallâ, caſtæ ſunt ſymbola mentis
Igniuomus lychnus, cera & candore niuali

 Virgi-

Virgineis pedibus, puro oreq́; texta volucrum:
Candidus iste color, sanctum decet vsq; tonantem
Quiq́; Deum sequitur, sit pectore candidus imo.
Flagrent igne tuæ vitæ clarissima facta
Sic viues prosper, sic post tua fata micabis
In cœlo, altitoni conspectu lætior ipso.
Hæc tibi sponte puer candentia lilia dono,
Albentesq́; rosas, cape dextra & mente serena.
Conticuit. Mitis Concordia labra resoluit
Extemplò. O infans; tu maxima cura parentis
Supremi, iungis tu claras fædere certo
Sarmatiæ gentes me non renuente sorore
Quin iuui auxilio; quia sic diuina voluntas
Ordine disposuit seriem iussitque fauere.
Cresce Domus Fierlei: cresce & Tarnauia iunctis
Viribus, intereo vestris conatibus vltrò
Amborum magnum consurgat ad æthera nomen
In Boream extendens, Zephyrũq́; Notũq́; sonorum
Atq́; Eurum, celerem famam, laudesq́; superbas.
Gloria vestra volet per mundum nescia finis
Accipito placidè ramum felicis oliuæ.
Hic est pacis honor, pax aurea regnet, & acri
Stringat vtramq́; domũ vinclo & virtutibus aureis.
Desiit ore loqui. Mox cepit vera Virago.
Sum memor antiqui secli, scio texere longo
Ordine, facta, viros, percurrens tempora rerum
Tum quæ lapsa prius, tum quę voluenda per orbem

Et mo-

Et modò quæ manant seruantq́; silentia cursu.
Quæ sit origo puer tua, qui genuêre parentes,
Quâ fuerint olim maiores laude beati
Mens tenet, ex placido decerpsit corde tonantis.
Ecquis Tarnouiam gentem non nouerit vsquam?
Illa potens armis, animis, virtute coruscâ,
Consilijs, opibus, robusto corpore, amicis.
Illi sublimis faciem fortuna fauentem
Ostendit, gentisq́; viros ad sydera tollit.
Quanta fuit Magni Spicimiri gloria quondam
Quem Rhenus misit liquidis pater humidus vndis
Tarnouiamq́; domum compescere iussit habenis
Tempore quo WLADISLAVS LESCVSq́; tenebat
Ore niger, campi dictum de nomine Regnum?
Regis amor testatur, honos patriæq́; Polonæ.
Quot Castellani Spicimiri gente profecti,
Quotué Palatini, Comites, aulæq́; Magstri?
Quid memorē claros & magnos semper honores?
Mortiferi belli IOANNES pectore fortis
Dux, Craci veteris qui Castellanus in vrbe
Vixerat; hic Valachos, Moschos exercuit olim
Sarmatiæ ac duris fecit parere lupatis.
Pro patriâ pugnans eheu alter sanguine sparsit
Bucouina tuos saltus, herbasquè, solumquè.
Inclyta quid soboles Raphaëlis? Templa dicauit
Tarnouiæ Diui Francisci fratribus, atquè
Præpositum statuit. Petressum viribus arcem
Turca-

Turcarum validis fortem, impugnansq; Sumenum
Sauromatis auidis decus immortale reliquit.
Zbygnęus docuit Lituanos dogmata Christi
Quando susceptus sacro de fonte IAGELLO est.
At Sendomiriæ quid Castellanus opimæ
Iascus, quantus erat? cuiuis Pręuorscia testis,
Eius facta canit claustrum quod struxit, & auxit
Muneribus, redituq; pio per secula quæuis.
Quid Gratus, quid Amor Iasci, duo lumina gentis?
Belli tempestas ad Varnam absorbuit ambos.
Quid reliquos numerem? Quis totum dicere versu
Possit? Phœbus equos prius acres ducit in æquor.
Floruit hac semper virtus in gente Polonâ.
An STANISLAVS factis maioribus vllis
Cedit? Hic ô quantus Regni, qualisué Senator
Moribus antiquis Augusti tempore factus
Deliciæ Stephani Regis? quæ bella cruentus
In Moschos gessit reprobos? quàm fortis in armis
Heros? consilio quàm prudens pollet acuto?
Quàm felix ternis natis queis vita superstes?
En Michaël, Gabriel duo gentis pulchra decora:
En Ioachimus honor patriæ, effętæquè senectæ
Patris. Vos iuuenes Tyberinus suspicit amnis,
Vistula miratur, variæ gentesq; per orbem.
Casta Minerua dedit largè sua munera vobis
Et Bellona ferox animos armauit in hostem.
Hinc amor est patriæ nec mille pericula mentem
Terrent

Terrent, hinc fortes Academica ſigna tueri
Ardetis, teneris annis ea caſtra ſecuti.
Viuite felices per ſecula Neſtoris annos
Hæc virtus creſcat vobis in pectore pulchro.
Nunc etiam teneri ſurgunt ſeriquè nepotes,
Inter quos video eſt Ioannes bellulus infans
Hoc pueri nomen, ſeu malis dicere IASCVM.
Haud erit inferior reliquis, ſic fata loquuntur
Relligione, fide, patriæ deuotus alumnus.
Quæ pueri genitrix, ſi quiſquam fortè requiris;
ANNA mihi credas FIRLEIO ſanguine clara
Priſca domus FIRLEIORVM, laus, gloria priſca,
Oſtaſius prior eſt genitus de ſtirpe Polonâ
(Nam genitor Gallus fuit) Oſtaſouia cuius
Nomine lætatur, Lublino proxima celſis
Oppidulum antiquum tectis, quo tempore primũ
Cepit. at Oſtaſij Germanus Pręsbiter almâ
Sancti Præpoſitus FLORIANI vixerat æde.
Quæ Staniſlai Firlei vis? fortius arcem
Lublini tuitus, cum dira ſagitta, Scytharum
Occiditquè Ducem, ſæuos hoſteſquè fugauit.
Quot cecidêre viri Wituldi caſtra ſecuti
Quando Tamerlanes dirēxit Regna Scytharum?
Emicuit Firleiorum tunc gloria cūnctis.
Quid Petrus? Iudex næ ſeruantiſsimus æqui.
Nicoleos Capiſtrini vada ſanguine crudo
Conſperſit, multoſquè Scythas ad tartata miſit.

Hic Ba-

Hic Baiazeti Turcarum Principis ora
Haud metuit, missus Legatus, iussa Poloni
Regis dicta refert, rursum & mandata Tyranni,
Albertumquè Ducem Brandeburg iura coëgit
Sponte Polona sequi (infandum) sine Marte feroci
Pro meritis Kocko turritam suscipit arcem
Perpetuis annis. Mercedem habet inclyta virtus.
Hîc Castellanos reticens præteruolo magnos
Atqué Palatinos, quos secula prisca tulerunt,
Excelsis varios homines & honoribus auctos.
Quin famâ sexus muliebris claruit hisce
Sedibus, ac virtute potens. Quid prisca reuoluam?
Moribus Anna recens micat, & virtute decorâ,
Efficit ac pulchrâ generosum prole parentem.
O domus, ô soboles nimium Fierleia felix,
Quæ semper viuis bene splendida laude perenni,
Vsquè lares patriosque iuuas felicibus ausis.
Ergo simul cunctæ mecum celebrate sorores
Progeniem natam, duplici de stirpe parentum,
Muneribusq; illam dignis onerate frequentes.
Viue puer felix Ioannes nomine clarus,
Virtutumqué bibas fontes dum vita manebit,
Esto sequax vitæ Ioannis tempore quouis,
Qui Christi corpus sine crimine, lauit in vndis.
Laude domum, patriamq; tuam super æthera vectā
Effer, vt insignem famam post fata relinquas.
Sic ait. Ore canit chorus, alto vertice missus

Viue puer felix Ioannis nomine clarus,
Virtutumquè bibas fontes, dum vita manebit
Laude domum, patriamq; tuam ſuper æthera tolle.
Talia ab ore canunt, pedibus plauduntq; choreas
Effundunt calathis violas & lilia pictis
Narciſſos, calthas, cyanosquè, crocumq;, roſasq;:
Hæc infans ſint dona tibi. Nec plura locutæ
Diſcedunt omnes pedibus ſimul inde ſorores,
Et repetunt puro vacuas ſuper æthere ſedes.
Quàm blandæ voces! ô quantùm pectora mulcent!
Quid vates aliud canet, infantiquè tenello
Donabit? Magni, fulgentia munera mittent
Heröës, torques, phialas, nitidisquè rigentes
Armillas gemmis, baccata monilia collo,
Quicquid & Eoo conquirent orbe, dicabunt.
Carmen ab ore ſuo dat vates ritè ſorores
Diuinas hac parte ſequens. Puer inclyte grato
Pectore ſuſcipias, vná clariquè parentes.
Viue puer felix Ioannis nomine clarus
Virtutumquè bibas fontes dum vita manebit,
Palladiosquè ſimul latices, Martisquè cruenti.
Pro patria caput obiectans, dum ſigna vocabunt.
Laude domum, patriamq; tuam ſuper ęthera vectā
Effer, vt inſignem famam poſt fata relinquas.